

suis contendat? Etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, sartim et per latrocinia potius, quam bonis artibus, ad imperia et honores nituntur. Proinde quasi praetura, et consulatus, atque alia omnia hujusmodi per se ipsa clara, et magnifica sint; ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est. Verum ego liberius altiusque processi, dum me civitatis morum piget taedetque; nunc ad inceptum redeo.

## ORATIONES

### EX SALLUSTIO COLLECTAE.

I. ORATIO MICIPSAE REGIS AD JUGURTHAM, qua eum officii sui admonet, finem vitae sibi adesse intelligens.

*Ex belli Jugurthini cap. 3.*

Parvum ego te, Jugurtha, amisso patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi, existimans, non minus me tibi, quam liberis, si genuisse, ob beneficia carum fore. Neque ea res falsum me habuit. Nam, ut alia magna et egregia tua facinora omittam, novissime rediens Numantia, meque regnumque meum gloria honoravisti, tuaque virtute nobis Romanos ex amicis amicissimos fecisti: in Hispania nomen familiae renovatum est: postremo, quod difficillimum inter mortales est, gloria invidiam vicisti. Nunc, quoniam mihi natura finem vitae facit, per hanc dextram, per regni fidem moneo obtestorque, ut hos, qui tibi genere propinqu, beneficio meo fratres sunt, caros habeas; neu malis alienos adjungere, quam sanguine conjunctos retinere. Non exercitus, neque thesauri praesidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio et fide pariuntur. Quis autem amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Evidem